



~~G. 17. 10.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-48
SIGNAT. CLVCCCCXIII.



21

ORATIO

DE CONFUSIONIBVS DOGMATVM, VETERIBVS ET RECENTIBVS IN ECCLESIA,

excitatis ab hominibus fanaticis, Recitata à

GEORGIO MAIORE Doctore Theologiae in Academia Vitebergensi.

CVM DECERNERETVR GRADUS Doctorum Theologiae Reuerendis Viris

D. Casparo Crucigero.

D. Henrico Mollero.

D. Friderico Videbramo.

D. Nicolao Selneccero.

D. Christophoro Pezelio.

D. Iohanni Bugenhagio.

WITEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES

Schvvertel.

Anno M. D. LXX. Die Maij XI.

15

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines within a rectangular border.]



ORATIO.



BIENNIVM EST CVM
in hoc ipso templo repetita paucis
confessione fidei meæ contra Syco-
phantarum morsus & obtreccatio-
nes, omniq; publico munere depo-
sito, ualedixi huic Ecclesiæ & Academiae. Neq;
ab eo tempore me existimaui huc rediturum
esse ad dicendum publicè.

Speraueram enim si quid incideret, uel onerum uel negociorum Reipub. causa, in quibus mei usus esse posset: Academiam tamen me quasi rudi donatum propter extremam senectam, & planè fractas ac prostratas ingenij & corporis uires, ea cura & molestia sponte liberaturam esse.

Sed denuo quasi extrudit me ad perorandum in hoc uenerando Theatro orbitas Academiae, extincto uiro Reuerendo D. Doctore **PAULO EBERO** Pastore Ecclesiæ nostræ, à quo onus Collegij omne recidit & incus- buit in me unum & solum, quem cæteris supers- titem Deus esse uoluit, fortasse ut uel sola uitæ meæ, & salutarium, ut confido, laborum ratio, refutaret calumnias meorum inimicorum, qui me sine modo & fine lacerant, quorū inexple- blem rabiem nulla potest placare aut mitigare fas-

A ij

tisfas

tisfactio: Denique qui ita furunt odio mei, ut acquieturi non uideantur, nisi me uel ruina miserè exagitatae ac discerptae Ecclesiae obruant, & in huius cineribus aut ruderibus hoc miserum cadauer meum sepeliant.

Etsi itaque excusatione aetatis amoliri hoc onus à me potuissem, praesertim cum non defuerint, qui pro me id subituri fuissent, & fortasse maiore cum fructu auditorum, tamen precibus Collegarum cessi, motus amore Academiae, quam tanquam dulcissimam matrem semper & colui quanta potui reuerentia animi, & tenerrimè dilexi, & quibus potui officijs ornaui & adiuui.

Huic dum postremo hoc obsequio aeternam gratitudinem declaro, audietis me senem, praecaligine oculorum uix agnoscentem typos literarum, anxio cordis gemitu, anhelato spiritu, balbutiente lingua, uoce tremula, deplorantem calamitates Ecclesiae, ea qua uos decet commiseratione.

Dominus noster Iesus Christus cum opere redemptionis nostrae in terris consummato, euexisset in sublime massam generis humani quam assumpserat, exaltatus supra omnes caelos & creaturas, et collocatus ad dextram aeterni patris, exorsus est regnum & sacerdotium aeternum, ab effusione uisibili spiritus sancti in Apostolos, ut hac testaretur utrumque, hunc Christum, qui

qui assumptis omnibus naturæ humanæ infirmitatibus, sed sine peccato, qui laceratus, crucis fixus, mortuus & sepultus, tertia die resurrexerat, & spectantibus ipsis in cœlum ascenderat, non tantum nudum hominem, sed & uerum Deum esse, & eundem sicut adfuit Ecclesiæ antequam induerat humanam naturam, sic adfuturum etiam deinceps, usq; ad consummationem seculi.

Ita autem implet munera regis & Sacerdotis æterni, ut non tantum exaudiat gemitus, uota, preces supplicum & accedentes ad thronum gratiæ fiducia ipsius, quasi manu ducat, umbraculo tamen iusticiæ suæ coopertos, ac circumdatos uelo innocentia, sed excerpit etiam sibi ex genere humano æternam Ecclesiam, uoce & ministerio Euangelij efficax in cordibus credentium, & eandem illuminet, doceat, sanctificet, regat Spiritu sancto, & stipatam sanctorum angelorum præsidio protegat, & opituletur periclitanti inter cruentas persecutiones, piorumque immanes lanienas, & ipsorum inter se regnorum conflictus, Deniq; ut alicubi sedatis bellorum motibus, aut furoribus hostium Euangelij compressis, restituat ac tueatur aliqua imperia, pacem, tranquillitatem, iudicia, leges & disciplinam, propter Ecclesiam, ne huic sese, ceu ex naufragio recolligenti, hospitia desint, ut

A iij depellat

depellat Diabolos, elidat ac pessundet Sinonia
artificia & consilia in Ecclesiæ perniciem strus-
cta, compescat ululatus furiarum in impijs dog-
matibus, ulciscatur illustribus exemplis ac testis
monijs iudicij sui autores blasphemorum erro-
rum, infringat conatus contundatq; robur ac uis-
res Tyrannorum.

Hæc ingentia beneficia Filij Dei uere ex-
perta est misera Sarepta nostra annos totos
quingenta, quæ quanquam inde usq; ab inis-
tio repurgationis doctrinæ petita sit, & oppu-
gnata horribilib. odijs, calumnijs, insidijs & mo-
litionibus: summi tamen sacerdotis & regis sui
inexhausta benignitate, & omnipotente protes-
tione constitit immota hæctenus, ceu scopulus
inter impulsarum et allisarum undiq; undarum
impetus, & innixa duabus firmissimis anchoris,
ardente inuocatione Dei, & sincero concordia
studio, eam quam à suo Pontifice accepit do-
ctrinæ uocem, intrepidè & constanter sonuit,
propagauit, asseruit.

Admiramur tanquam singularia opera Dei
totum opus eductionis populi Israelitici ex
Aegypto per disclusas aquas Maris rubri &
Iordanis, perq; aridissimas solitudines & insolis-
tarum uictoriarum ex spontaneis urbium ruis-
nis triumphos, At cur in hoc non minore ope-
re diuino, quod potentia Romanæ Tyrannidis,
tam

tam arcto sæuerissimi imperij coagmentata nexu, tot seculis roborata, tot regnorum præsijs fulta, solo stylo Lutheri impulsa ac labefactata, in plærisq; orbis Christiani regnis plane corruit, in reliquis inclinata ad ruinam nutat: Quod sustinere potentia illa calami, id est, calamo exaratae prolataeque ueritatis impetum non potuit, quod uictoris Caroli animum, cum hanc urbem in potestate haberet, Deus ita rexit & flexit, ne quid hostiliter tentaret: In hoc ergo opere quod non minus miraculi habet, cur cæcutimus? cur auctori tam frigidè gratias agimus? Ne reperiamur ergo ingrati, de his tantis beneficijs, sæpè ut cogitetis adolescentes & assidua gratiarum actione ea ut celebretis, uos hortor.

Initio itaque uero ardentique gemitu intimi peccatoris ago gratias Domino nostro Iesu Christo pro omnibus beneficijs, quòd factus est supplex pro genere humano, quòd se obtulit mediator inter Deum & homines, quod in se transtulit iram Dei & peccata nostra: quòd ex arcano sinu patris protulit uiuificam & salutarem Euangelij promissionem, & hac colligit sibi æternam Ecclesiam in genere humano: quòd assumpta carne nostra factus uictima & λύτρον pro nobis, redemit nos à peccato, ab execratione legis, à morte æterna, à Diaboli potestate: quòd sanctificat, docet, regit, seruat, defendit

Eccles

Ecclesiam: quòd in hoc extremo mundi senes-
centis cursu immensa bonitate lucē Euangelij
nobis reddidit: Quòd regno superstitionum ac
tenebrarum euerso, in hac Academia lucem illam
accendit, atq; excitauit, uocauit, & instruxit
peculiaribus donis, pietatis, doctrinę, iudicij, dex-
teritatis, eloquentiæ, roboris, constantiæ, autori-
tatis, ministros idoneos, qui hoc summum opus
repurgationis doctrinæ à cœno inueteratorum
errorum, & destructionis tot seculis ac tanta ty-
rannide confirmatæ Hierarchiæ intrepide ag-
grederentur, incessanter urgerent, feliciter per-
ficerent: Quòd in horum quasi uestigia collo-
cauit alios, copulatos inter se simili de uera do-
ctrina quam accepimus consensu, & sincera be-
neuolentia: quòd nō depulit tantum à cervicibus
nostris immania parricidia, à nidulis nostris
horrendas uastationes, à liberis nostris foedissis-
mas libidines crudelissimorum & obscœnissis-
morum hostium Ecclesiæ suæ, sed à doctrina
etiam quam profitemur, quòd depulit contagia
deterrimorum furorum, qui à fanaticis hominibus,
ut Anabaptistis, Enthusiastis, Seruetianis,
Stenckfeldianis, Antinomis, Flacianis, & simili-
bus alijs sparsi, latè uagati sunt, & alicubi altè
radicibus actis infederunt.

Pro his ergò & innumeris alijs beneficijs
tibi Fili Dei toto pectore gratias ago & agam
in to

in tota æternitate, tecum supplex oro, ut hoc perturbatissimo & afflictissimo statu propitijs & misericordibus oculis respicias Ecclesiam tuam. Assere & uindica gloriam tuam & ueritatem doctrinæ, quam te magistro & duce amplectimur ac tuemur, tuam sonantes uocem, ostende posteritati illustri testimonio, quæ sit ueritas tua, refuta ac pessunda Sycophantas, Hæreticos & Sophistas, confusione teterrimarum opinionum petulanter inuoluentes & obruentes explicatissimam doctrinæ normam, detege & resdargue uanitatem mendaciorum & calumniarum uirulentiam, quibus labefactata est certitudo ac fides doctrinæ, abs te nobis per salutaria organa tua patefactæ, & aspersa est iniquissima labes innocentissimorum hominum famæ & existimationi, Adesto nobis Spiritus sancti auxilio in doctrinæ ueræ assertionem ac propagationem, rege & coniunge mentes nostras, ut una fide, uno Spiritu, una uoce te celebremus, Amen.

Vt iuniores autem commonefacti discant intelligere & cauere contagia errorum, quibus insidiæ mirificis artibus, præstigijs & inuolucris struuntur ueritati, repetam quædam ex historia ueteris Ecclesiæ de præcipuis erroribus, quibus illi & autoribus & occasionibus & seculis in Ecclesiam irrepsert: His enim demonstratis

B planum

planum fiet, eos, qui certatim à diuersis autoribus inuecti, à multis hodie circumferuntur, & Ecclesiam miserandum in modum diuellunt ac perturbant, non fundamento, sed illito tantum nouorum colorum fuco, à Veteribus discrepare. Non enim ut Pontificij somniant, præclarum illum suum consensum iactitantes de regno ex idolis, abusibus, erroribus, superstitione & tyrannide conflato, in hac ingenti naturæ humanæ imbecillitate, et in his tantis diabolorum, & multorum malorum hominum furoribus, fingamus Ecclesiam, cui nulli sint admixti mali, aut è cuius gremio nulli unquam prodierint, aut emerferint degeneres apostatæ, desertores legitimæ congregationis, corruptores agnitæ ueritatis, persecutores recte sentientium.

Talem enim qui Ecclesiam imaginantur, satis ostendunt, quàm sint aut memores uaticinij Christi, Necessè est uenire scandala, sed uæ illis à quibus existunt, aut periti historiarum Ecclesiæ, quæ docent, quantos & quàm tetros errores organa diabolorum, ipsis adhuc Apostolis uiuis sparserint, & quàm ubere prouentu hi pullularint atq; exundarint, quàm latè contagia serpsent, quomodo mox uelut uno Hydrae capite præciso, succreuerint tria alia deteriora primo ac deformiora. Sed agnoscamus ac
deplor

deploremus infirmitatem nostram, & diaboli insidias, uirulentiam, sæuitiam intelligere discamus, ac precemur Filium Dei, ita nos ut regat, ut unum simus in ipso, de ueritate doctrinæ, quam ipse patefecit consentientes.

Etsi autem agnosco & sentio uulnera nostra, ac uero gemitu deploro horribiles confusiones petulantia & ambitione nonnullorum excitatas, tamen has confusiones opinionum à recta, perspicua, plana, simplici et Canonis Prophetico & Apostolico analoga norma ueræ & incorruptæ doctrinæ, et autores à uero & uiuo corpore Ecclesiæ tanquam *Alastoras* & *καθάρματα* secerno, ac uos adolescentes hortor, ut quæ & ubi sit uera Ecclesia cogitetis, quod iudicare ex uoce doctrinæ, et cæteris indubitatis atq; infallibilibus notis, inter quæ à doctrina proximum locum obtinet Sacramentorum usus, non est difficile.

Non moueat quenquam uetustas, splendor, Titulus, potentia, opus Hierarchiæ Romanæ, quæ fulcris idolatriæ, impiæ doctrinæ, et superstitionum innixa, Tyrannide ac parricidis sese conseruat ac sustentat, ruitura consensu gentium, nisi cædibus exhauriret et deuastaret Prouincias.

Non est enim Ecclesia *ἡ ἐκκλησία τοῦ πολιτικοῦ*, quæ hodie esse conspicitur Ecclesia Romana, cuius

B ij ius

ius caput est non filius Dei, sed qui honorem
Filij Dei et potestatem rapit Pontifex Romanus,
qui condit ac stabilit autoritate prætoriam
dogmata fundamento Christi et Apostolorum
contraria, et imperat Monarchis ac regibus
Christianis, Nec alligata est Ecclesia ad ordinariam
successionem Cardinalium et Episcoporum,
quam noui emillarij Pontificum tantoperè iactant,
sed unum et solum habet Ecclesia ^{ἀρχηγόν}
et custodem Filium Dei, qui regnans ad dexteram
æterni Patris distribuit dona hominibus,
Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores,
Doctores.

Nec est alia in Ecclesia Hierarchia, nisi hæc
in qua Christus constitutus à Patre caput suæ
Ecclesiæ, quæ est corpus ipse et complementum,
implet omnia in omnibus.

Non moueat ergò quenquam Romanæ
Ecclesiæ species, eò quòd quadam ordinati imperij
forma, ad Hypocrisin composita, præ se fert
in ritibus externis ^{ἑυταξίω}, cùm de fundamento,
et à Christo, Prophetis atq; Apostolis
dissentiat toto cælo, et inter se minimè consentiat,
ut Scholasticorum disputationes ostendunt.

Necq; è conuerso perturbet quenquam deformitas
confusionum, quam pepererunt, qui à nobis
discesserunt, Sed seposita et procul remota
pro

ta prodigiosa illa Chymæra, quæ ex Sycophan-
ticis deprauationibus doctrinæ rectè traditæ
confuta, obtruditur, quisq; puris oculis et sin-
cero mentis non fascinatæ iudicio intueatur
consensum summum, quem retinuit Ecclesia et
Academia nostra, et nobiscum multi alij, qui in
eadem confessione firmi perstiterunt inde usq;
à tempore Confessionis Augustanæ, quo primū
capita præcipuarum controuersiarum ac dispu-
tationum in certam doctrinæ formam redacta
sunt.

Hic te consensus deducet ad Ecclesiam. Vbi-
cunque enim sonat hæc uox doctrinæ, et rectè
administrantur Sacramenta ex institutione Filij
Dei, ibi certò statuas esse Ecclesiam, in cuius te
gremium conferas, includas et condas, nec auel-
lite te ab eo consensu ullis clamoribus, præstigijs
aut calumnijs patiaris.

Hæc postquam monui, nunc de argumen-
to quod institui, quædam addam.

Prorsus ut Christo nascente ex Maria uir-
gine, et deinceps prædicantibus Apostolis, Eth-
nici et Iudæi, ita hodie restituta puritate doctri-
næ Turci et Papistæ palàm sunt hostes Ecclesie,
Sed ut tunc et deinceps etiam extiterunt multi
alij, qui occasionibus sumptis ex scriptis prophes-
tarum et Apostolorum sententijs horum insi-

B iij diose

diostè mutilatis aut ueteratoriè deprauatis, aut in
alienum sensum callidè uel maliciosè detortis,
aut uiolenta interpretatione conuulsis, doctri-
nam Ecclesiæ uel obscurarunt uel corrupe-
runt, uel prorsus in Ethnicas aut Iudaicas fanta-
sias transformarunt, sic mox ab inchoata emen-
datione doctrinæ commouerunt sese petulantia
ingenia, qui Diaboli impulsu tetra commenti
sunt. Diabolus enim similes furores omnibus
temporibus spargit, paululum mutata specie.

SVnt autem quatuor præcipuè controuersie,
de quibus Catholica et orthodoxa Ecclesia
cum Hæreticis dimicauit, de his dicam ordine.

Prima est de Deo, de Dei essentia, de tri-
bus personis Diuinitatis, de Filio Dei, de Spiri-
tu sancto.

Etenim non Ethnici tantùm, sed et in Ec-
clesia aliqui imitati Theogoniam Hesiodi finxe-
runt magnam turbam Deorum, quam allegori-
cè interpretati sunt, ut eluderent doctrinam de
Filio Dei & Spiritu sancto.

Et deinceps Pontificij commenti alia nu-
mina, & alios cultus, honorem inuocationis so-
li Deo debitum tribuerunt Sanctis, & cumula-
tis Idolis hunc ipsum cultum inuocationis alli-
garunt ad imagines ac statuas artificum opera
fabrefactas, impia & prorsus insana persuasio-
ne com-

ne commenti, ad has illasque statuas certius ex-
audiri uota inuocantium.

Sed acrius bellum intulerunt Filio Dei,
Ebion & Cerinthus, qui ut Iudæi in Messia,
sic in Christo, negarunt esse diuinam naturam.
Nec consentaneum est hanc blasphemiam pri-
mum ab Ebione & Cerintho post Apostolos
effusam esse, sed statim ab initio impulit Dia-
bolus sua organa, ut Cainum & degenerent
huius posteritatem, ut doctrinam de Messia ir-
riderent & negarent tunc Filium Dei adesse
Ecclesiæ.

Postea Pharisei & Saducei in populo Isra-
ël palam negarunt Messiam fore Deum & ho-
minem.

Sed post Apostolorum tempora exhibito
in carne Filio Dei, furiosius sæuijt Diabolus, &
plures impulit ad has contumelias renouandas,
quibus certi testes & assertores incorruptæ do-
ctrinæ acerrimè restiterunt.

Iohannes Euangelista refutauit Cerin-
thum & Ebionem, Fuit auditor Iohannis Poly-
carpus Episcopus Smyrnensis, Polycarpi Irenæ-
us, cuius extat liber perspicuè defendens hanc
sententiam, quòd in Christo nato ex Maria
uirgine sint duæ nature, λόγος, & humana natu-
ra assumpta ex Virgine, & quod λόγος signifi-
cet ὁ θεὸς ὁ μόνος.

Pos

Postea Berillum Arabum Bostrensiū
Episcopum eodem infectum contagio redargu-
it Synodus, quæ Philadelphiæ in Arabia coñt,
præsidente Adamantio Origene. Samosate-
num eandem blasphemiam concinniore fuce
ex Plotini Platonici disputationibus pingentem,
refutavit Antiochena Synodus, cui præ-
fuerunt Gregorius Neocæsariensis, & Diony-
sius Alexandrinus.

In eundem scopulum impegerunt multi alij
deinceps, quos grauiſſima autoritate, ex omni
antiquitate repetitis ac posteritati commenda-
tis testimonijs Ecclesia refutavit.

Arium quidem in Nicena Synodo Sardi-
censi & Treuirensi, hanc postremam governa-
runt Martinus Turonensis, & Ambrosius Me-
diolanensis Episcopi, & Hieronymus Presby-
ter.

Nestorium Ephesina, Eutychem Chalces-
donensis, Monotheletas Constantinopolitana
tertia, quæ est Oecumenica sexta, reuicerunt. Ma-
cedoniū, Eunomium et πνευματομάχους, negantes
Spiritus sanctum esse ἑνὸς ἁμῶν et tertiam pers-
sonam Diuinitatis, repressit Constantinopolita-
na Oecumenica prima, Et pia harum Synodo-
rum decreta, sanciuit Toletana Synodus.

Samosatenicam meretriculam Philosophia-
cis coloribus bellè fucatam, & blandis illecebris
allis

allicientem curiosa ingenia, reduxit in Theatrum nostro seculo Seruetus Hispanus, qui diu fuit in Academijs Mahometicis in Numidia. Cumq; dogma prima specie blandum multi prophani cupidè essent amplexi, semina eius in Pannonicum et Sarmaticum regna, longè lateq; dispersa, Valentino Gentile, Blandrata & nonnullis alijs propagatoribus, plurimos infecerunt.

Nec obscurè ante aliquot annos idem uirus renouauit Flacius in uicina Parthenope, ut literæ eius testantur, Sed orthodoxorum aduersationibus territus, sese repressit: Semper habuit enim Diabolus sua organa, quæ Filium Dei contumelia afficerent: Ac tandem blasphemiam illam horribilis potentia regni Mahometici latè propagauit & stabiliiuit, cui aditum & quasi fenestram Seruetici & Flaciani furores aperiunt.

Nunquam defuerunt tamen ueritati patrocinia Filijs Dei suscipientis defensionem suæ causæ, & Ecclesiæ testimonia, quorum quasi fultu ac præsidio discussis & superatis calumnijs perarupit ueritas ac uictoriam obtinuit.

Alterum certamen Ecclesiæ fuit de Dei uoluntate in Euangelio per Filium patefacta, deq; uera iusticia coram Deo, seu de beneficijs

C genes

generi humano obedientia & merito Filij Dei
partis, atq; ex gratuita misericordia donatis.

Omnes autem Sectæ hunc de iusticia
communẽ errorem habuerunt, natum ex reli-
quis in mente hominis noticijs legis & huius
opere cordibus inpresso. Nimirum homines
iustos esse coram Deo sua dignitate, suis seu me-
ritis & operibus.

Idcirco omnes confuderunt & obscurarunt,
uel prorsus sustulerunt discrimẽ Legis et Euan-
gelij, aboleuerunt doctrinam de promissione, &
de beneficijs Filij Dei, honorem Christo debi-
tum in se & sua merita transtulerunt, & hac
impia persuasione excogitarunt, ac cumularunt
priuato arbitrio & ausu cultus innumeros sine
mandato Dei, cuius rei exempla omniũ Sectas-
rum, sed inprimis regni Pontificij historiæ sup-
peditant, quæ ostendunt quod Euangelij doctri-
nam commenta Monachorum ex Origenicis et
Pelagianis delirijs confuta prorsus obruerint.

De doctrina Origenis etsi & olim dissimis-
sima fuerunt iudicia, tamen falsas & absurdas sen-
tentias etiam ipsius ætas improbavit, & Pharis-
saicam Synecdochen, qua tribuit causam & me-
ritum Iustificationis obedientiæ Christi, & me-
ritis nostris, mox reprehendit uir Sanctus Me-
thodius, & tandem pleraq; eius deliramenta
confutata repudiauit & condemnauit Synodus
Conz

Constantinopolitana secunda, quæ est Oecumenica quinta.

Pelagius doctrinam Euangelij de lege, de peccato, de gratia prorsus in Pharisaicam seu Philosophicam transformauit, contendit non esse peccatum originis, & homines libero Arbitrio posse satisfacere legi Dei. Vocabulo gratiæ dixit significari non remissionem peccatorum gratuitam & donationem Spiritus Sancti: Satisfieri autem legi Dei externa obedientia, nec peccata esse prauas inclinationes & hominem externa disciplina coram Deo iustum esse, etiam sine Spiritu sancto, & mereri remissionem peccatorum & uitam æternam, Fidem esse noticiam Legis & Historiæ. Hæc cum plausibilia sint rationi, quæ disciplinam externam intelligit, summa huius doctrinæ latè uagata est, nec aliud est doctrinæ genus reipsa in Scholasticis doctoribus, ut in Scoto, Orcam & similibus. Fuit hoc enim multis seculis in Ecclesia Romana usq; ad Lutherum: Nec aliud uoluit commentum Osiandri, de Iustitia essentiali.

Refutarunt autem Pelagium Synodi, Carthaginensis & Mileuitana, quibus interfuit Augustinus, qui hanc doctrinæ partem illustrauit, & posteriores Arausicanæ.

C ij

Ad

Ad hoc caput pertinet & Nouati error, qui cum negaret recipiendos esse lapsos, qui cum metu suppliciorum negassent se Christianos esse, postea redibant ad poenitentiam. Hæc durities postea ad alios lapsus translata est, unde qui non recipiebant lapsos in manifesta delicta, Cathari nominabantur.

Nec multò post eodem dogmate distraxit Ecclesiam Alexandrinam Meletius, & hæc deliria nostro tempore renouarunt Anabaptistæ, Refutauit hunc errorem firmissimis testimonijs Petrus Alexandrinus, cuius sententiam Synodus Nicena comprobauit.

Tertium certamen de causa boni & mali, grauissimè exercuit & concussit Ecclesiam Dei. Nata est enim ex hac quæstione tetra confusio. Martion & ante eum Basilides posuerunt duo principia contraria, & pariter æterna, Bonum & Malum, *φῶς & σκότος*, & finxerunt necessitatem Stoicam in actionibus bonis & malis, Omnia nimirum necessario fieri, ac plura alia portentosa deliramenta addiderunt. Furores hos reuocarunt & cumularunt Manichæi, qui similiter duo finxerunt principia pariter æterna, Bonum & Malum. Bonum nominarunt lucem, Malum tenebras, & materiam, quam dixerunt malorum omnium causam. Ortos à malo nominarunt *χοίkovς καὶ ὑλικοὺς*, Et ut antecellere com-

muni

muni hominum multitudini & Semidei uide-
rentur, simulabant Enthusiasmos peculiare et
afflatus, uelut attoniti aliquandiu silebant, tan-
dē uelut ex specu Trophoni reuersi suspirabāt,
ingemiscebant, tundeabant pectora palmis.

Etsi autem non difficilis fuerit tam mani-
festorum furorum refutatio, et extant uetustæ
ac perspicuæ refutationes scriptæ ab Irenæo
contra Marcionem, ab Augustino contra Ma-
nichæos, tantus tamen est furor Flaci, ut reuo-
care uelut ab Orco hos furores Manichæos, et
blasphemo ore immanicq̄ ausu defendere, cum
Enthusiasticis et Antinomicis delirijs confusos,
non uereatur.

Dum enim peccatum substantiam facit, uel
ipsam etiam animam rationalem: Dum imagis-
nem Diaboli cordi humano essentialiter dicit
impressam atq̄ informatam esse: Dum naturæ
humane corruptionem fingit esse transmutatio-
nem Physicam in nouam substantiam, perinde
ut in Phylis alia noua substantia generatur
per corruptionem, priore prorsus abolita: Dum
hominem ait tantum Dei creaturam esse ratio-
ne primæ creationis, nunc uerò post lapsum ali-
am esse et nouam hominis substantiam effe-
ctam à Diabolo, sic ut rectè dici possit, homi-
nem non reatum esse opus Diaboli, conditum
à Diabolo (Hæc sunt enim ipsius uerba) Hæc

C. iij.

ergo

ergo dum asserere audet, et præclaris suis euin-
cere conatur demonstrationibus, prorsus cum
Manicheis duo facit principia contraria, Deum
et Diabolum. Vtrumq; facit creatorem, sed ma-
iorem potentiam Diabolo tribuit, qui tota ea,
quam Deus ad imaginem suã ex nihilo condid-
erat substantia hominis, momentanea cor-
ruptione destructa, nouam aliam ad suam ipsi-
us formam & imaginem effinxerit, cum in
regeneratione, cuius autorem Deum esse lar-
gitur, inchoari tantum nouitatem, non extirpa-
ri penitus peccati radices in hac uita, sed mul-
tum relinqui adhuc sordium et imbecillitatum,
in natura nostra constet, Vnde sequetur in ho-
mine renato concurrere et coniungi, utramq;
imaginem, Diaboli et Dei, ac multa alia aperte
blasphemia, quæ nolo attingere, ut pijs auribus
parcam. Totum item opus generationis Diabolo
tribuit, ab hoc in utero materno fingi formariq;
materiã ad exemplum archetypi diabolici contra
certa expressaq; scripturæ testimonia scelerata
audacia comminiscitur, et blasphemio ore eru-
ctat, non discernens substantiam, quæ et initio
condita est à Deo et propagatur generatione,
Deo ordinem quem instituit etiam in corrupta et
uiciosa natura conseruante, à labe peccati, quæ
substantiæ diuinitus conditæ, à Diabolo et ho-
minis

minis libera uoluntate aspersa inhæsit, et imaginem Dei corrupit.

Ex his furoribus postea detexit alios Enthusiasticos et Antinomicos non minus tetros, quibus uniuersam de uera hominis ad Deum conuersione, de uera Iustificatione coram Deo, de iustitia nouæ obedientiæ doctrinam, aboleret et extinguit.

Conuersionem hominis fingit fieri, si in hostiliter ac pertinaciter repugnantem hominem fiat subita & momentanea, sed uiolenta ex Enthusiastico afflatu impressio imaginis Dei, quæ priorem Diaboli imaginem exterat et elidat, inq̄ in illius locum succedat.

Hanc impressionem fingunt Affectæ eius tam ualidam esse, et tam efficacem, ut motus omnes et inclinationes, ut actiones omnes seu pugnent cum lege Dei, seu congruant, sint res Deo placentes, Etsi ruat homo contra conscientiam in manifesta scelera.

Hos tetros furores ut mecum excremini adolescentes, propter Dei gloriam, et uestram salutem uos obtestor, et Magistratum hortor, ut has blasphemias iusta sæueritate reprimant et coerceant.

Restat quartum certamen de Ecclesia, Quæ ubi sit, et quam habeat potestatem in rebus ad
Deum

Deum pertinentibus et diuinitus mandatis,
Deq̄ ritibus externis in Ecclesia, qui humana
autoritate, ordinis boni causa instituuntur &
usurpantur.

Hoc certamen sæpe ingentes motus pepe-
rit: Nulla enim fuit tam obscœna, fœda, prophas-
na, fanatica Secta, quæ hoc augustum Eccles-
iæ nomen non affectarit: Sæpè Ecclesias unius
doctrinæ professione, & unius fidei societate
coniunctas, aut grauius sauciauit, aut in perpe-
tuum distraxit, rixa de aliquo ritu: Ferè enim
magis mouentur homines externa rituum spe-
cie, quàm doctrinæ fundamentis, quæ pauci re-
cte student cognoscere. Inde falso errore plæri-
que Ecclesiæ puritatem, non ex doctrinæ puri-
tate, & Sacramentorum legitimo usu, sed ex di-
stinctis personarum gradibus, & ordine tem-
porum atq̄ exercitiorum, & rituum externo-
rum procuratione, atque administratione ad
præscriptum legum humanarum æstimant.

Nec ij tantum qui deseruerunt ueram Ec-
clesiam, suam sibi ceu politiam singuli condide-
runt latis legibus, interdum manifestè impijs,
prophanis & obscœnis, sed in ipsa etiam uera
Ecclesia accerrimis & periculosissimis conten-
tionibus nonnunquam de leuissimis rebus cer-
tatum est.

Miras

Mirarer petulantissimum certamen de li-
nea ueste, odio harum regionum, ante paucos
annos excitatum, potuisse in tantum exardesce-
re incendium, nisi quantopere, & quamdiu Ec-
clesias Orientis & Occidentis exagitasset cons-
tentio de Paschate celebrando, meminissem.

Romæ Synodum coëgit eam ob causam,
Victor Episcopus Romanus, cumq̄ cæteris
Ecclesijs ea de re leges imponere auderet, repre-
hensus est ab Irenæo.

De eadem Cæsareæ in Palæstina Syno-
dum celebrauit Theophilus Episcopus: In
Ponto Palmas: In Gallia Irenæus: In Achaia
Bachides: & alij alibi, sed nullis dirimi aut com-
poni rationibus certamen potuit ante Nicenam
Synodum, Et ne tunc quidem sublatum fuisset,
autoritatem nisi suam Imperator Constantinus
interposuisset.

Tetrior fuit insania Hæreticorum, quorum
alij alias ceu fabricarunt politias titulo Ecclesiæ,
sed pugnantes omnes cum ea norma quam Des-
us tradidit. Libidinum enim fœdas confusio-
nes pleriq̄ aut probarunt, aut permiserunt,
quæ certissima sunt signa impietatis.

Ebion & multi alij contenderunt oportere
seruari Cæremonias Mosaicas. Carpocrates,
D Mar.

Marcion, Manichæi, & alij finxerunt oportere
Christianos facultates conferre in commune, &
uagis ac promiscuis commixtionibus sese pol-
luerunt, condemnarunt magistratus, iudicia, tot-
tum politicum ordinem, coniugia.

Scribunt colluuiem Marcionis oppidum
Phrygiæ Pepusam nominasse Hierosolymam,
& ibi seditionem mouisse: Prorsus similibus
perciti furoribus Anabaptistæ nostra ætate ses-
ditionem mouerunt in urbe Monasteriensi.

At qualem hodie nobis fabricant Ecclesi-
am Flaciani? quas leges sanciant? quos inue-
hunt mores? Hi de linea ueste primum nostris
bellum intulerunt. Postea quam negarunt
alijs, ipsi induerunt, & quod in alijs repræ-
henderunt, fecerunt ipsi, & infinita licen-
tia in suis Ecclesijs condunt & demoliuntur, in-
stituunt & abrogant, fingunt & refingunt le-
ges, mores, ritus, ac tetræ confusionibus per-
turbant & euertunt, quæ fuerunt bene consti-
uta.

Pontificij autem cum omnes doctrinæ
partes corruerint, uno capite excepto de Deo,
cum ritibus palam impijs, & anilibus superstiti-
onibus compleuerint orbem Christianum, de
nulla re tamen magis gloriantur, quam de Ec-
clesiæ titulo, & huius prætextu potestatem sibi
sumunt

sumunt statuendi mutandūue quiduis, in hīs
quæ sine impietate & scelere uiolari nequeunt.

Hi qualem condiderint Hierarchiam, quam
dissimilem illi cœtui, quem Filius Dei colligit
& gubernat uoce suæ Doctrinæ, ante oculos
est & in conspectu.

Etsi autem uociferantur, se defendere ue-
terem consensum, tamen falsò sibi arrogant Ec-
clesiæ nomen, cùm errores & Idolatrias pu-
gnantes cum fundamento retineant ac stabiliz-
ant, & consensum quem se tueri iactitant, re ipsa
oppugnent: Ludunt enim nomine consensus,
quo intelligunt tantum recentium temporum
consuetudinem, pugnantem cum antiquitate.
Manifestum est enim multa deliria terra rece-
pta esse, ignota uetustati.

Sed me prolixitas argumenti, quod exhau-
riri breui oratione non potest, progredi ad sin-
gula hoc tempore non patitur, quorum semina
ante Gregorium Magnū sparsa, ab ipso aucta
& confirmata, tandem excreuerunt in segetem,
quæ ueritatem cœlestem penè suffocauit, impe-
ria oppressit.

Hanc commemorationem institui, ut ado-
lescentes, de quibus rebus fuerint præcipua in
Ecclesia certamina, & quanta fuerint, ac quàm

citò exorta sint, quàm latè sese diffuderint, quan-
tam traxerint ruinam, cùm furor Mahometis
cus natus ex diuturnis ac multiplicibus dissis-
dijs de Filio Dei, oppressit horribili impetu Ec-
clesias Orientis, & Euangelij lucem in florentis-
sima parte orbis habitati penitus extinxit, consi-
derare discant. Et commonefacti, recentium
furorum fontes in ueteribus hæresibus inqui-
rant, atq; aduersus insidias & præstigias Dia-
boli, ex prolixioribus scriptis nostrorum Præ-
ceptorum, sese muniant atq; confirment.

Obijciunt nobis Pontificij scandalum dis-
sidiorum. Fateor maius id esse, quàm ullis ut la-
chrymis deplorari possit: Fateor turbari infir-
mos animos, ut dubitent ubi sit ueritas, & an
aliqua sit Ecclesia Dei distincta à cæteris genti-
bus.

Sed huic scandalo opponamus Articulum
fidei, Credo esse Ecclesiam Catholicam, & quæ-
ramus, quæ & ubi sit illa Ecclesia. At ubi quæ-
remus eam? An apud gregem Pontificium
contaminatum Idolatria, libidinibus & parricis-
dijs? Minime, sed in eo cœtu, in quo lucet pu-
ra Euangelij doctrina, & in quo Sacramenta di-
uinitus tradita rectè administrantur: Ad eum
nos associemus. Discamus etiam ex ipsa do-
ctrina, semper horribile odium esse in Diabolis
& eius

& eius organis aduersus Ecclesiam, ut in prima concione dicitur: Inimicitias ponam inter serpentem & mulierem.

Non igitur excutiant nobis fidem hæc tristia spectacula: Cogitemus & hoc, cum in illo flore Ecclesiæ, tantum fuerit dissidiorum, hanc ultimam & delyram mundi Senectam non fore tranquilliozem. Et oremus Filium Dei, ut nos feruet ac regat, nec sinat extinguere apud nos lucem incorruptæ doctrinæ, aut hunc dulcem consensum inter nos dissolui.

Postremo cum hoc tempore conuenerimus, ut tribuamus testimonium doctrinæ publicum ijs, quibus & munus docendi Euangelium, interpretandiq; Prophetica & Apostolica scripta in hac Academia commendatum est, & locus is decretus est, atq; attributus, quem antehac prima illa & clarissima lumina Ecclesiæ, primi scilicet instauratores & assertores purioris doctrinæ tenuerunt: Oro Filium DEI ut in hoc cursu, certaminum & periculorum pleno, ipse adsit eis sancto suo Spiritu, ut ὑποτύπωσιν ὑγιαίνοντων λόγων retinentes, de ueritate Evangelica quam acceperunt, constanter & intrepidè testificentur, contra ueteres & recentes Sycoφantas, & hanc integram atq; incorruptam

D iij pros.

pagent ad posteros, Talem inquam ut tradant
posteris, qualem acceperunt. Instruat etiam
& regat eos salutaribus consilijs, & largiatur
foelices & salutare exitus, ut ipsi gra-
ta, Ecclesiae utilia ac necessa-
ria efficiantur.

DIXI.



QVAE



QVÆSTIO PVERI.

Etsi scio me cum propter ætatis, tum iudicij imbecillitatem, prorsus non esse idoneum ad dicendum, in tam augusta & veneranda Doctorum corona, in qua assidere cerno senes plurimos, ætate, iudicio, pietate, meritis graues, & omni doctrinarum & virtutum laude clarissimos: Tamen ab Auo charissimo propè iam septuagenario prodire in hunc locum iussus, & ad dicendum productus, auctoritatem illius paternam piè detrectare non potui, nec debui, præsertim cum & scholæ consuetudo, et omnium vestrum erga ætatem nostram humanitas, perspectissima mihi sit, quam vidi ac memini erga alios συμφοιτήτας meos, qui ante me ex hoc ipso loco dixerunt, fuisse eximiam.

Confido itaq; duros vos veniam meæ quoq; erga Auum charissimum pietati, ac si dicendi elegantia expectationi de me vestra satisfacere non potero (Quod ut possim ætas mea ne sperare quidem me permittit) Operam tamen dabo, ne aut prolixitate orationis puerilis, aut argumenti, quod in medium allaturus sum absurditate, quenquam ex vobis offendam: Cumq; vsitatum sit proponere quæstionem completentem doctrinam ac commonefactionem ætati nostræ erudiendæ idoneam, eundem ego quoq; morem sequar, & quidē ne noui quid ex me comminisci videar, argumentum repetam, de quo & in disputatione nuper habita, sermones seruum plenos pietate moueri paucis audiui, deq; eadem & iam olim in Ecclesia acerrimè disputatum esse lego. An videlicet vna adoratione inuocandus sit Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, Deus & Homo?

Videtur quidem huic quæstioni Nestorius præbuisse occasionem, qui cum contenderet naturam diuinam in Christo fuisse tantum per assistentiam seu societatem, ut in alijs sanctis

etis

etis, manifestè ex eo colligebatur, Christum, si non verè & essentialiter esset Deus, qui assumpta humana natura carnem suam ita sibi propriam effecisset, ut unum esset ex duabus naturis, diuina & humana. Ὡς ἀπὸ οὐ, nequaquam esse adorandum.

Neq; enim adoratio ulli creatura quantumuis diuinis dotibus ornata tribui debet. Atq; hæc quidem plana sunt, & rectè à doctõribus Ecclesie tunc explicata. Sed reuera questio hæc non illius tantum ætatis, quæ Nestorij tempora attingit, ingenia exercuit, sed omnium piorum animos in vera inuocatione nonnunquam turbat.

Etsi enim sacre scripture testimonijs edocti scimus Deum esse inuocandum, & Christum verum Deum esse, ideòq; inuocandum credimus: Tamen cum in Christo ex virgine nato duæ integra sint natura, diuina & humana, Querit nonnunquam mens pia, quomodo fieri hæc inuocatio debeat, An peculiariter & distinctè diuina natura in Christo sit compellanda, cui uni & propriè ille cultus competat, Caro verò seu natura humana, utpote unita diuine colenda quidem, sed alio genere cultus sit honoranda? An verò una λατρεία, persona illa, quæ est Deus & homo sit colenda & adoranda?

Refugit pius animus aliquid tribuere humane nature, quod ei non competat, & metuit, ne si plus quàm oporteat ei tribuat, idolatriæ scelere, quo nihil est tristius, sese polluat. Itaq; nonnunquam inter precandum atq; in media oratione, quasi terrore aliquo obiecto subsistit, dum hæc explicanda prius ei obijciuntur.

Nulli creature tribuendus est honor soli Deo competens, iuxta illud Esaie quadragesimo secundo, Gloriam meam alteri non dabo. Humana natura in Christo est creatura. Ergo non est ei tribuendus honos soli Deo competens

rens, nec inuocari debet una λα. Ξεια. Et illud: Inuocatio nostra congruere debet cum inuocatione sanctorum Patrum & Prophetarum in veteri Testamento, Eundem enim, quem illi, Deum colimus. Sed Patres & Prophete ante incarnationem tantum secundum diuinam naturam inuocabant Christum, cum humana natura nondum esset. Ergo & nunc secundum diuinam naturam tantum adorari debet.

Occurrunt & exempla Apostolorum, & Sanctorum in nouo testamento, qui Christum compellantes, eum Dominum seu Iehouam appellant, quod nomen ut proprium est essentie diuine: ita creaturis nequaquam communicatur. Nam & Stephanus moriturus Dominum eum apellat, & Paulus in Actis gloria Christi circumfusus ac consternatus, inquit: Domine quid me vis facere: Et nota est celebris illa Thomae confessio Iohannis 20. Cum adorans Christum inquit: Dominus meus, & Deus meus, non hominem eum appellans, sed Deum, & quidem illum Deum, qui sit Iehoua, & quem scriptura unum & solum verum Deum esse affirmat.

Hec igitur & his similia, quia turbare nonnunquam inuocantes possunt, reuerenter peto à Reuerendo & clarissimo viro Domino Doctore HENRICO MOLLERO, ut de tota questione atatem nostram erudiat, & quid ad hac argumenta respondendum sit doceat. Oro & Filium Dei toto pectore, ut studia docentium ac discipulorum in hac schola regat, fortunet, & nos omnes clementer seruet ac protegat,

AMEN.

E RE

RESPONSIO.

Magna res est inuocatio Filij Dei, de qua quæris, non tantum quia maximum atq; adeo unicum vite nostræ est presidium: Verum etiam quia honorem diuinum tribuit Filio Dei, eumq; ostendit, non alium esse à Patre Deum, sed eiusdem cum eo essentia & potentia. Nihil enim religiosè præter unum verum Deum adorari potest, sine impietate & flagitio: & toto pectore detestandus est error Pontificiorum, qui dum sanctos inuocandos esse docent, non tantum eo peccant grauiter, quòd alia sibi præter unum Deum fingentes numina, maximo Idololatriæ scelere se obstringunt, verum etiam quòd diuinitatem Filij Dei hoc impio suo cultu obscurant. Nam inter alia argumenta, quæ ostendunt τὸν υἱὸν seu Filium esse verè & natura Deum, illud non postremum est, quòd scriptura iubet eum adorari, & quòd Sancti ab initio conditæ Ecclesiæ, ei hunc cultum præstiterunt. Adoratio enim est quedam confessio, qua asseueramus eum quem sic colimus esse καὶ θεὸς ὡς ἡμεῖς, qui inspiciat gemitus & motus cordium nostrorum, qui afficiatur ærumnis nostris, & qui omnipotens sit, ut dare ea quæ petimus, aut succurrere in necessitatibus possit. Hæc verò cum sanctis tribui non possint (Est enim solus Deus καὶ θεὸς ὡς ἡμεῖς, & omnipotens) manifestum est, & fædè errare Pontificios omnes, qui honorem soli Deo debitum transferunt ad creaturas, & firmum hinc colligi argumentum, quòd diuinitatem Filij Dei confirmat.

Vt autem dirigi animus in inuocatione ad Christum, atque hunc intueri Fides rectè possit, necesse est personam Christi ita agnosci, ut in verbo patefacta est, Alioqui enim vagabitur animus & aberrabit in inuocatione, nesciens, ut Christus apud Iohannem inquit, quid alloquatur

aut

aut quem adoret, nec nisi eo Fides nisi rectè agnito potest.
Quomodo enim inuocabunt, in quem non credunt? aut quo-
modo credent in eum, quem non rectè agnoscunt, aut quem
alium esse, quàm se patefecit somniant? De hac igitur re
necesse est rectè erudiri mentes nostras, ne dum inuocare nos
Christum dicimus, pro vero Christo idolum aliquod adore-
mus.

Et Ariani quidem primi fuere, qui pro Christo ido-
lum sibi fabricauerunt, quod adorarent. Nam qui ante
Arium diuinitatem Christi negabant, ne adoratione qui-
dem eum dignum iudicabant, ut quem $\psi\lambda\delta\upsilon\pi\acute{\alpha}\nu\delta\epsilon\omega\pi\omicron\upsilon$ aut
cogitationem nudam seu decretum in mente Patris esse
statuerent. Arius tamen & huius sectatores vel consuetu-
dine piorum, vel decretis Synodi Antiochena, in qua dam-
natam esse sciebant Paulum Samosatenum, vel alijs de cau-
sis moti, Christum quidem non omni adorationis honore
spoliabant, sed cum creaturam eum esse dicerent, solum
quidem Patrem ut autorem omnium bonorum, Chri-
stum verò ut ministrum inuocandum esse docebant. Quos
nunc imitata blasphema Titanum soboles, in Transyluania
& vicina Sarmatia & Hungaria, denuo bellum inferens
Filio Dei, tantum adorandum contendit Filium propter
mandatum Patris, ut legatus honoratur propter dignitatem
& mandatum mittentis. Qua in re Idololatria manifesta
est. Neque enim honor seu cultus Deo debitus transferendus
est ad eius seu ministrum, seu legatum, nec creatura debet eo-
dem loco poni cum creatore. Imitantur Arium in eo etiam,
quod eum secundarium quendam & quasi precarium De-
um, qui essentia à Patre differat & separetur, constituunt,
& cum alijs tum his precipuè prestigijs impudentiam $\tau\eta\epsilon$
 $\epsilon\iota\delta\omega\lambda\omicron\lambda\alpha\tau\epsilon\iota\alpha\varsigma$ inuoluentes, aiunt, Christum quidem inuo-
candum esse, sed ita quia Pater in eo inuocetur, quia illi
omnis potestas data, quia omne illi genu flectendum,

E ij

quia

quia in eum credendum, & quia honorandus sit, quemad-
modum Pater honoratur, iuxta illud: Qui non honorat Filiū
non honorat Patrem. Interea vero non id attingunt, in quo
versatur cōtrouersie cardo: nimirum, quomodo Christus ado-
randus sit, cum scriptura iubeat unum Deum adorari, quem
illi solum patrem esse contendunt. Si enim Christus est creatu-
ra, aut Deus essentiatus, ut loquuntur impie & barbare,
quomodo competit ei hoc quod dicitur in Deutero: Dominum
Deum tuum adorabis & illi soli seruiēs? aut si iuxta hos ex-
cludendus est à vera Deitate, seu, ut loquimur in Scholis
ἀπὸ ταυτότητος τῆς οὐσίας, ἡ ἰσότητος τῆς πατρὸς, quomodo
inuocari omnino debet aut potest? Cum soli Deo, quem u-
num esse scriptura affirmat, hic honor debeat. Sed de his
alibi dicendi locus erit. Ad propositā questionem reuertor.

Post Arium Nestorius doctrinam de Filio Dei de-
prauans, uerum inuocationis Christi Dei & hominis fun-
damentum euertit. Contendebat enim, diuinam naturam
in Christo fuisse tantum per societatem, atq; ita Christum ni-
hil aliud quam hominem diuinum seu diuinis dotibus orna-
tum faciebat, quem tamen quod alios Sanctos antecelleret,
maiore honore & cultu dignum iudicabat. Itaq; non pror-
sus non adorandum, sed hominem D E O uero coadoran-
dum docebat. Hos Nestoriani dogmatis scopulos effuge-
re aut vitare non possunt, si qui copulationem duarum
naturarum in CHRISTO non tam ex ipsa naturarum u-
nitione Hypostatica, quam ex effusione omnium propieta-
tum diuinitatis in humanam naturam aestimant, quae quod
ad οὐσίαν attinet, non minus dicunt diuinam naturam esse
aut habitare in alio quouis homine, quam in Christo, discri-
men uero in effusione omnium proprietatum esse contendunt
qua fiat ut omnis maiestas & ἐξουσία diuinitatis & ipsa
etiam inuocationis gloria natura humane in Christo commu-
nicetur, Id enim si ita est, ut Nestorius & alij post ipsum
affir-

affirmare ausi sunt, inuocatio nostra iam non ad Deum, sed ad hominem diuinum, hoc est, proprietatibus omnibus diuinis ornatum dirigitur, nec potest quisquam, qui ita de Christo statuit, crimen Idololatrias effugere. Scriptura .n. manifeste dicit. Iehouam DEVM tuum timebis & ipsum coles. Iehouam nominans qui essentialiter & natura Deus est, non gratia seu participatione. Item Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Et apud Esaiam cap. 45. Per me ipsum iuraui (inquit Iehoua) Egressum est de ore meo in iusticia uerbum & non reuertetur, Quod MIHI curuabitur omne genu, per me iurabit omnis lingua. Atq; huc respiciens Athanasius monet cauendum esse, ne inducamus diuersam aliquam substantiam, quam tamen uelimus capacem esse proprietatum primae substantiae. Quia scriptum sit, Gloriam meam alteri non dabo. Non igitur competit hic honos ulli creature, quantumuis donis diuinis & quidem omnibus exornate. Idq; animaduertentes Patres, qui in Synodo Ephesina congregati erant, formam hanc loquendi Nestorianam (Christum hominem DEO uerbo esse coadorandum) ut falsam & impiam reiecerunt & damnarunt.

Nestorium Eutyches sequutus est, qui in contrariam opinionem delapsus, Christum non iam hominem diuinum aut diuinis dotibus exornatum, sed in diuinam naturam prorsus commutatum & absorptum esse asseuerabat. Et nostro tempore Surenckfeldius cum Eutyche carnem à Christo absorptam esse in diuinitatem contendit. Vterq; enim periculum esse uociferabatur, si natura humana cum suis proprietatibus salua in Christo maneret, ne adorantes Christum simul adoraremus creaturam, quae summa est blasphemia. Humanam igitur naturam ita in Christo abolitam & absorptam esse à diuinitate uolunt, ut nihil iam de ea sit reliquum.

E ij

Sed

Sed affirmat toties scriptura, Christum verò corpore
resurrexisse à mortuis, conspectum fuisse à discipulis haben-
tem carnem & ossa, verò corpore visibiliter ascendisse in cœ-
lum, & quemadmodum visus est ascendere in cœlum, sic
rediturum eum esse ad iudicium, seq. non tantum pijs sed
impijs quoq. ostensurum affirmant Angeli, ut dubium esse
non possit, humanam in Christo naturam etiam post resurre-
ctionem manere integram & saluam. Ea q. in re summa
consolatio pijs mentibus est proposita, iuxta illud ad Ebraeos
cap. 4. Non habemus pontificem, qui non possit affici sensu
infirmatum nostrarum, sed tentatum per omnia iuxta si-
militudinem absq. peccato. Itaq. & Athanasius ante Euty-
chis tempora rectè damnauit eos, qui dicerent, Christi cor-
pus esse consubstantiale verbo: & memorabile est dictum
Cyrilli in priore Epistola ad Successum Isauria Episcopum,
ubi ex professo hanc questionem tractans inter cetera in-
quit, Conuersionem in Deitatis naturam corpus è terra
non potuit sustinere. Hoc enim impossibile est, alio-
qui Deitati derogamus, quasi facta sit, & aliquid in se
assumpserit, quod eius iuxta naturam proprium non sit. Et
paulò post, Diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia
corpus est DEI, & ineffabili gloria illustratum, incorrupti-
bile & iam sanctum atq. viuificum confitemur. Quòd autem
in naturam Deitatis sit immutatum, neq. sanctorum Patrum
quisquam sensit aut docuit, neq. nos ita sentimus. Cum Cy-
rilli dicto congruunt totius antiquitatis testimonia, & in
primis duo decreta, quorum alterum in celeberrima Synodo
Chalcedonensi factum est contra Eutychen, alterum aliquan-
to post sub Iustino Imperatore, cum Seuerus Antiochenus &
Philoxenus errores Eutychis renouassent, ab Hormisda Epi-
scopo Romano, qui eam ob causam Constantinopolim pro-
fectus erat, & ceteris quam plurimis, qui ad dijudicandam
controuersiam conuenerant, scriptum est. Chalcedonensis
Syno-

Synodi decretum his verbis recitat Euagrius lib. 2. cap. 4.
ἓνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογῶμεν Ἰησοῦν χριστόν, υἱόν, κύριον, μονο-
γενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιακρίτως, ἀχω-
ριστως γνωρίζομεν, οὐδαμῶς τῆς αἰνῶ φύσεως διαφορᾶς ἀνηκ-
μῶν διὰ τῆς ἐνώσεως, σωζομένης δὲ μάλλον τῆς ιδιότητος ἑκα-
τέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν σω-
τηρίας, οὐχ ὡς εἰς δύο πρόσωπα μερίζομεν ἢ διακρίνομεν,
ἀλλὰ ἓνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱόν μονογενῆ θεοῦ λόγον καὶ κύριον Ἰησοῦν
χριστόν, καθ' ἃ πόθεν ἄνωθεν οἱ προφῆται πρὸ αὐτοῦ, καὶ ἡμεῖς αὐτὸς ὁ
χριστός ἐξεπαύδευσε, καὶ τὸ αἰνῶ πατέρων ἡμῖν παρέδωκε σύμβο-
λον. *Alterum apud Cedrenum extat in vita Iustini Imp.*
quod quia notum esse debet omnibus priori subijcio. Δύο δὲ
φύσεις λέγοντες, τῆς διαφορᾶς σημαίνομεν τῆς σαρκὸς καὶ τοῦ
λόγου, διὰ τὸ ἀσύγχυτον, ἢ γὰρ σύγκρασις ἀφανισμὸν αἰνῶ δύο
φύσεως ἀποργάζεται, ἡ δὲ ἀρρηκτὴ ἐνώσις ὁμολογῶμεν καὶ
ἀσυγχύτως φυλάττει τὰς φύσεις, καὶ ἓνα ἀποτελεῖ ἐξ ἀμφοῖν
ὁφθέντα χριστόν θεοῦ ὁμοῦ τε καὶ ἀνθρώπου γενομένου τὸν αὐτόν.
Adeo illustra sunt hac testimonia, ut mirum sit Syvenck-
feldium & alios nonnullos in tanta luce adhuc cecutire &
verborum portenta comminisci, quibus offundere luci tene-
bras & veritatem, cuius simplex & plana est oratio, obscura-
re, & tricis inexplicabilibus involuere conantur. Quid enim
clarius dici de hac re potuit, quàm quod in Synodo Chalcedo-
nensi legitur duas naturas in Christo esse unitas sine vlla
confusione, sine commutatione seu versibilitate, ut Augu-
stinus loquitur, sine diuisione & separatione, ita tamen ne
per unionem differentia naturarum tollatur, sed magis pro-
prietas utriusq. nature ad constituendam vnā personam
seu hypostasim concurrentis seruetur? Et tamen quampro-
cul à simplici veritate nonnulli discesserint, quamq. mo-
lesta sit quibusdam huius decreti perspicuitas, certamina
hac de re mota, & insidiosae harum & similium sententia-
rum occultationes ostendunt.

Tene-

Teneantur ergo contra Eutychem & huius patronos haec
perspicua testimonia, & certo statuamus, duas in Christo
etiam post resurrectionem esse naturas suis proprietatibus
distinctas, quae sicut simul unite sunt, καὶ ὑπόστασις: ita
nunquam deinceps separantur aut diuelluntur. Sed inquit
Eutyches et Suenckfeldius. Quomodo igitur Christus est in-
uocandus, si est Deus & homo? An simili honore prosequen-
da est natura humana cum diuina? Aut cur in inuocatio-
ne, cum Christum compellamus, non distinguimus diuinam
naturam ab humana, & illi quidem cultum soli Deo com-
petentem exhibemus, hanc vero illa veneratione prosequi-
mur, quae carni quidem Christi, utpote excellentissimis donis
ornata, conueniat, illam tamen à creaturarum conditione non
eximat? Id quod voluisse videntur, qui conficta distinctio-
ne non inepta tantum, sed impia prorsus, diuinitatem Chri-
sti θεοσεβεία vel εὐσεβεία, humanam vero naturam ὑποσεβεί-
α colendam censuerunt.

Respondeo plane & perspicue, Si Christus tantum sit ho-
mo & quidem proprietatibus omnibus naturae diuinae orna-
tus, ut dici diuinissimus, seu Deus etiam, sed per gratiam aut
per accidens possit, nequaquam debetur ei hic honos, ut ado-
retur, Nam creaturam adorare nefas est & horrenda nomi-
nis diuini blasphemia, Sed cū diuina natura τὸ λόγος massam
naturae humanae assumptam ita sibi uniuert, ut eā non tan-
tum sibi fecerit propriam, Sed in unum cū ea ὑπόστασις
coierit, non est diuellenda inuocatio nostra, nec animus in-
ter orandum distrahendus, ut cogitatione humanam natu-
ram à Christo, quem adoramus, separantes, alio modo com-
pellendam diuinam naturam, alio humanam censeamus,
sed unum eundemq; Christum colimus & adoramus ἑνὰ
λατρείαν quia una est persona ex duabus naturis constans,
nec honor adorationis respicit hanc vel illam naturam, sed
ipsam hypostasim subsistentem. Id docet Psal. 45. Qui
Messias

Messiae promissi personam & regnum describens his verbis Ecclesiam alloquitur: Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus, & adorabis eum: non separans humanam naturam, sed totam personam animo intuendam in inuocatione proponens. Et Psal. 97. legitur: Adorate eum omnes Dij (Seu Angeli eius, ut reddidit auctor Epistola ad Ebreos) Sed maxime illustre est illud Esaie 11. in quo expressa sit mentio nature humanae. In die illa (inquit) erit radix Iesse, quae stat in signum populis, ad ipsum gentes confugient. Et apud Ieremiam cap. 33. de hac persona, quae est germen Dauidis dicitur, quod sit Deus, quodq; sic agnosceretur & inuocabitur, quod sit Deus, qui iustificet inuocantes, det remissionem peccatorum & viuificet. Noui vero testamenti dicta non minus perspicua & illustra sunt, ut cum ipse Saluator inquit, Iohan: 5. Ut omnes honorent filium sicut honorant patrem. Et congruunt huc exempla utriusq; testamenti. Iacob enim in suis precibus mentionem filij, ut personae missae, facit, ut cum Gene. 48. in benedictione Angelum ducem itineris & custodem inuocat. Et Stephanus in Actis, quod exemplum in tua quaestione allegasti, commendans animam suam Christo, Dominum Iesum eum appellat, quae nomina toti personae conuenire manifestum est. Nec aliter eum inuocarunt, quicumq; unquam in veteri testamento ad hunc Mediatorem promissum & propiciatorem varijs modis in lege adumbratum confugerunt. Etsi enim nondum assumpserat tunc filius Dei humanam naturam: Tamen Deum in carne manifestandum, ut nos manifestatum, sancti patres inuocabant. Habebant enim certam promissionem de venturo semine, quem quia certo mittendum sciebant & expectabant, huius fiducia eum inuocabant.

Ex his igitur, quae diximus, facile responderi potest ad argumentum, quod tanquam maxime speciosum primo

F

loco

loco collocasti, (ad cetera enim responsum iam esse existimo.)
Rectè dicis, Nullam creaturam nudam scilicet & per se ado-
randam esse, quia hic honos soli Deo cõpetit, Sed caro Christi
ita in unitatem personæ assumpta est à λόγῳ, ut iam cum eo
unum ὡς ἑπὶ δὶον constituat. Non igitur caro Christi sola nec
per se considerata à nobis adoratur: sed adoratur Filius Dei,
qui certo tempore humanam naturam assumpsit, eamq; ita
propriam sibi fecit, ut iam unus sit Filius cum unita sibi car-
ne Dei patris verbum, nec sine sacrilegio et blasphemia dis-
iungi hæc due nature, aut seorsim à nobis statui possint. Non
igitur fingimus duos Filios λόγῳ et natum ex Virgine, ut fa-
ciebat Nestorius, nec alia petimus à diuina natura, alia ab
humana, sed mentes dirigimus in inuocatione ad hanc per-
sonam, quæ est Deus & homo, Cumq; una sit verbi & as-
sumpte carnis, id est, unius Christi personæ gloria, totum
Christum adoramus, seu ut Athanasij verbis utar, Qui Do-
minum in carne adoramus, non creaturam, sed creatorem
corpore indutum adoramus, nec rei create citra Deum, qui
creauit omnia, cultu inseruimus &c.

Rectè igitur decreuit Synodus Ephesina, una adora-
tione Christum Emanuelem esse colendum, & anathemati
subiecit eos, qui assumptum hominem auderent dicere unã
cum verbo coadorandum & conglorificandum, Deumq; tan-
quàm alterum cum altero appellandum esse. Nam ut Cy-
rillus in libro de incarnatione verbi præclare inquit: Ado-
ratione non est diuisio facienda in hominem seorsum & se-
orsum in Deum. Nec verò tanquam Deo coniunctum, qui
qualitate dignata sit diuisus substantijs, cum ipso adorari di-
cimus hominem. Id enim extreme impietatis plenissimum
est: sed unum adorandum hominem factum & incarnatum
Dei verbum &c.

Extant in hanc sententiam multa apud Athanasium,
Cyrillum, Augustinum & alios, quæ longum esset hoc loco
com-

commemorare, Utile est tamen adolefcentes commonefieri,
ut ipsi antiquitatis testimonia inquirent, atq; horum colla-
tione animos suos confirment, ut perspectis veris sententijs
fugere discant illas periculosas disputationes, quæ fidem tur-
bare aut languefacere in inuocatione possunt. Inter cetera au-
tem illustre est illud Augustini, quod extat Tom. 10. Ser.
58. de verbis Domini. Dicunt (inquit) hæretici, Filium non
esse natura Dei filium, sed creatum. Quibus respondendum
est. Si Filius non est Deus natura, sed creatura, nec colen-
dus est omnino, nec ut Deus adorandus, dicente Apostolo,
Coluerunt & serui erunt potius creature quàm crea-
tori. Et ad Galatas, Sed tunc ignorantes D E V M, his
qui natura non sunt Dij seruebatis, Sed illi ad hoc replica-
bunt et dicent: Quid est quod carnem eius, quam creaturam
esse non negas, simul cum diuinitate, adoras, atq; ei non mi-
nus quàm diuinitati deseruis. Ego dominicam carnem imò
perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à
diuinitate suscepta & deitati vnita est, ut non alium atq;
alium, Sed vnum eundemq; Deum & hominem Filium
Dei confitear. Deniq; si hominem separaueris à Deo, illi nun-
quam credo nec seruiò: veluti si quis purpuram aut diade-
ma regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare?
Cum verò eis Rex fuerit indutus periculū mortis incurrit, si
ea simul cum Rege adorare quis contempserit. Ita etiam in
Christo Domino humanitatem non solam vel nudam, sed
diuinitati vnitam, vnum Dei Filium, Deum verum & ho-
minem si quis adorare contempserit, æternam mortis pœnam
patietur. Hec Augustinus.

Congruit cum his & Lutheri testimonium, qui nouissi-
ma Davidis verba exponens inter alia sic scribit. Nos cum
Christum natum ex virgine, videlicet hominem adoramus,

F ij

207

non adoramus aliquem purum, ut vocant, seu merum hominem, seu alium à Filio Dei, qui seorsim extra Deum, seu præter & extra Deum sit persona quadam separata seorsim adoranda. Sed adoramus æternum verum unicum Deum, qui cum Patre & Spiritu sancto unus est Deus, æternus, & cum humana natura assumpta ex Virgine una est persona seu unus Christus.

Hæc ad propositam abs te questionem respondisse hoc loco & in hac temporis angustia sufficiat, Cætera quæ ad hanc questionem pertinere videntur, alio loco & tempore commodius tractabuntur. Tempus enim his immorari nos non sinit, & alijs dicendi locus à me est dandus: quod faciam, ubi breuiter hoc adiecero, de quo me sententia ex Reuerendo viro D. Luthero iam adducta commonefecit. Nos dum Christum inuocamus, non herere in eius tantum persona, Patre & Spiritu sancto exclusis, sed Deum totum & integrum in sua essentia adorare. Cùm enim una & indiuisa sit trium Personarum diuinitatis essentia, fieri non potest, ut idem Lutherus affirmat, ut citra aut extra reliquas una persona velut ab alijs separata aut diuisa inuocetur.

Quare unam personam compellantes totam diuinitatem adoramus, sicut econtra, qui uni personæ hunc honorem tribuendum esse negat, omnes simul atq; ita unum verum Deum contumelia afficit. Nam qui non honorat Filium, non honorat patrem, & qui filium abnegat, is nec patrem retinet. Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, una cum Filio & Spiritu sancto, Oro, ut lucem veritatis cælestis in nostris pectoribus accensam conseruet, & voce Euangelij semper inter nos Ecclesiam sibi colligat, à qua in omni æternitate cognoscatur & celebretur.

DIXI.

DE

DECANVS COLLEGII

THEOLOGICI GEORGIVS MAIOR,

S. Theologiae Doctor & Professor.

SENEM Polycarpum aiunt digitis solitum aures obstruere, quoties voces blasphemias fanaticorum sui temporis audire cogeretur. Ego vero & mihi & populo optarim, non modò ne audire auribus, sed ne oculis quoq; videre cogeremur disputationes tetras & abominabiles, quæ eduntur & leguntur passim, quibus uniuersa ferè doctrina Ecclesiæ tenebris inuoluitur, ac potissimum gratissimus articulus de Filio Dei conuellitur & labefactatur, contendentibus multis, nec æternum, nec natura Deum esse Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Ac prorsus commentitiam esse doctrinam ac fidem, de æterno Deo omnem, quam Ecclesia Catholica, Apostolica & Orthodoxa, non solùm à tempore nati in hunc mundum Filij Dei & Apostolorum ingentibus & penè continuis certaminibus in hunc usq; diem aduersus Diabolos & fanaticos homines innumerabiles constanter defendit & asseruit: Sed antè etiam Ecclesia Patrum ac Prophetarum, inde usq; ab initio conditi generis humani sonuit & inculcauit posteris studio, fide & diligentia ardentissima.

Cohorresco & mente & pectore toto legens atq; audiens monstrosa & δύσφημα illa βδελύγματα, quæ nunc maiore rabie & conatu impudentiori spargit Diabolus, præsentiens haud dubiè non procul abesse diem illum letissimum, & votis piorum omnium iam dudum expectatum, quo finis tandem furorum & blasphemiarum ipsius à Filio Dei statuatur, abiecto ipso & socijs blasphemis ad cruciatus & supplicia sempiterna. Ac in uniuersum seculi huius nostri, ac proh dolor, disputatricis nimis

F iij

vanitatem



vanitatem & licentiam effrenem, quam ferè indoctissimi
quicq; audacissime sibi sumunt, animo meo cogitans, &
cum grauitate maiorum nostrorum conferens, qui edi-
ctis seuerissimis hoc genus disputationum prohibue-
runt, video paulò post fore, vt posteritas nostra, si quam
tamen hi ipsi furores esse permittent, seculum hoc sophis-
ticum, & delirum excretur toto pectore, quod conce-
ditur nunc, vt talia & disputentur alicubi publicè, & de-
fendantur in templis, & edantur in publicis scriptis.

Ac propter hanc ipsam temporis huius nostri so-
phisticam tetram & infinitam, vereor ne & nostris dispu-
tationibus, quarum in Ecclesijs & Scholis, in erudienda
iuuentute usus est maximus & summe necessarius, aliqui
iniquiores nunc etiam sint, qui non tam disputando,
quam piè & constanter credendo ac retinendo, iam olim
rectè decreta & constituta, rectissime defendi, & aduer-
sus præstigias sophisticas communiri existimant. Sed
cum nota sit Scholarum, ac nostræ in primis Sareptæ,
consuetudo, grauissimo consilio instituta ac recepta, re-
quirens, ut hi, qui gradibus & testimonijs publicis ornan-
di sunt, prius confessionem suam publicè ostendant. Et
verò, cum mandato Illustrissimi Principis Electoris Au-
gusti, Saxoniae Ducis, Domini nostri Clementissimi: tum
Academiae etiam decreto ac suffragatione consentien-
te constitutum sit, vt viris Reuerendis & Clarissimis,
D. M. Casparo Crucigero, D. M. Henrico Mollero,
D. M. Friderico Videbramo Pastori huius oppidi,
M. Nicolao Selneccero, M. Christophoro Pezelio, &
M. Ioanni Bugenhagio, Lectoribus ac Professoribus in
hac Academia, & Praeceptoribus vestris, translatis in or-
dinem superiorem Collegij Theologici, Gradus simul &
Titulus honestissimus Doctorum Theologiae confera-
tur, putauimus & morem veterem reuerenter retinen-
dum esse.

Quanz

Quamquam autem ex multorum iam annorum
praelectionibus publicis, & concionibus assidujs, imò &
publicè editis libris, omnium illorum & singulorum con-
fessio pia, & in omni genere doctrinarum eruditio excel-
lens, nota sit, propter Scholam tamen & iuventutem eru-
diendam, & aduersus praestigias & blasphemias fanaticas
praemuniendam proposuimus publicè Themata seu
Propositiones, continentes summam perspicuam & sim-
plicem eorum articulorum doctrinae coelestis, quos fu-
riosa huius temporis sophistica rabiosissimè oppugnat ac
dilacerat, Disputaturi de his, Deo iuuante, ad proximum
diem Maij quintum, non fanaticorum ullorum more aut
exemplo, sed repetituri, & quantum Deus concesserit, il-
lustraturi veram, simplicem, rectam & perpetuam Catho-
licae & Orthodoxae Ecclesiae Dei sententiam, traditam in
scriptis Prophetis & Apostolicis, & Symbolis piarum
Synodorum, Apostolico, Niceno, Athanasiano, Ephesi-
no & Chalcedonensi, & illustratam ac conseruatam in
confessione Ecclesiae nostrae inde usq; à prima repurga-
tione doctrinae coelestis, quam in hac ipsa Schola Deus
immensa bonitate exorsus est. Quare Clarissimos viros,
Dominos Doctores ac Professores, Magistros, Collegas
nostros, Item & Scholasticos omniū ordinū, in hac Aca-
demia, reuerenter ad futuram Disputationem inuitamus,
& ab his, qui Praeceptorum suorum confessionem piam
audituri sunt, peramanter petimus, ut accedant ad Dispu-
tationem animis seriò quærentibus & reuerenter ample-
ctentibus simplicem & perspicuam veritatem, & ne præ-
stigijs sophismatum huius seculi, συζητησac δμιλιαρ illam
dulcissimam turbent aut deforment. Disputatio enim
cum iuventutis causa instituatur, ut teneris animis verae
& rectae sententiae instillentur, non ut tanquam dubia in
disputationem vocentur aut conuellantur, quæ tradi in
hac

hac Ecclesia scitis, pio consensu abesse ab his congressibus
debet sophisticam *επιλογισμῶν*, & alios his morbis similes
lusus, qui & iuventuti nocent, & cōtumelia Deū afficiunt
Cū autē Filius Dei ipse dicat: Nemo nouit Patrē nisi Fi-
lius, & cui uolet Filius reuelare, toto eum pectore oro, ut
ipse nos doceat, de æterno Patre, & de sese, & de tota do-
ctrinæ summa, de qua, ipso iuuante, amanter, piē ac reue-
renter colloquemur. Cūq; dixerit: Ego sum uitis, vos
palmites, ipse nos sibi inserat, tanquam surculos & palmi-
tes, grata ipsi & salutaria Ecclesiæ dicentes, docentes ac
facientes omni tempore, Amen. P. P. pridie Calenda-
rum Maij, Anno M. D. LXX.

Inchoabitur Disputatio, Deo iuuante,
ad diem quintam Maij, in auditorio
Collegij noui, hora sexta.



DE

DECANVS COLLEGII
THEOLOGICI GEORGIVS MAIOR,
S. Theologiae Doctor & Professor.

ET operum Dei mirandorum, & consolationum, quae
in resurrectione Filij Dei Domini nostri Iesu Christi,
& conuersatione huius cum Apostolis & alijs sanctis per
dies continuos quadraginta, & ascensione denique ad coe-
los traduntur, magnitudo & dulcedo tanta est, ut nulla
eam mens cogitando complecti, nulla vox exprimere aut
narrare dicendo possit. Neque enim maius quid aut simi-
le ullo unquam mundi tempore accidit, inchoatis & pa-
lam ostensis tunc inijtis dulcissimis vitae illius & laetitiae
aeternae, in qua erit noua lux, sapientia & iustitia sine pec-
cato & sine morte. Nec tantum propter Apostolos aut
illius temporis Ecclesiam illa & facta & scripta sunt, sed
toti tum Ecclesiae, quae usque ad finem mundi ex toto ge-
nere humano colligetur & excerpetur, testatum facere
Filius Dei voluit, se regnantem in aeterna illa gloria & lu-
ce inaccessibili, in quam reuersus ad Patrem assumptus
est, victoriae & triumphus illius eum palam ostensi cur-
sum, semper in Ecclesia sua continuaturum esse, semper
se viuum & sedentem ad dextram Patris interpellaturum
esse pro nobis, daturum remissionem peccatorum & Spi-
ritum sanctum Ecclesiae, hoc est, credentibus in ipsum, &
inuocantibus Deum fiducia ipsius, & tandem se his ipsis
in cineres redactis, redditurum in nouissimo die vitam
& gloriam aeternam, semper denique daturum se ac distri-
buturum Ecclesiae dona illa magnifica & dulcia, quae &
persoluto precioso sanguinis sui $\lambda\rho\tau\sigma\omega$ & omnipotentis
dextrae suae efficacia parata & acquisita, accepit a Patre,
Apostolos videlicet & Euangelistas, Prophetas, Pastores
& Doctores salutare, quorum ministerio Ecclesia sua
G colligatur

colligatur & ædificetur, & vox doctrinæ à se ex sinu Patris prolata ad omnem posteritatem propagetur.

Hoc dulcissimum *θεῖα μα* dierum illorum quadraginta, & triumphus illius gloriosi, quo rediit ad Patrem, & ad cœlos ascendit Filius Dei victor ac Rex æternus, ut non sæpe tantum, sed assidue intueri pias mentes decet, & præcipua consolatio est in omnibus huius uitæ ærumnis, miseris, periculis, confusionibus & doloribus tristissimis, Ita & ego in hac senectâ mea, & doloribus multis, subinde in hoc ipsum testimonium oculos & animum defigo, & ut paulò post in æterna illa luce ac gloria spectator sim dulcissimi illius & augusti sodalitij, sanctorum & doctorum piorum, quos & tunc ad cœlos secum euexit Filius Dei, & interea dum in genere humano æterna illi Ecclesia colligitur, subinde ipse & dedit, & rursus ad se euocauit, ardentissimis votis optare ac petere non desino.

Et cum non possim non sollicitus esse & de posteritate nostra, & de Ecclesia, quæ post nos futura est, cuius præuideo maiora fore pericula & miseras, quàm fuerunt ullo mundi tempore, mirifice hoc ipso testimonio recreor, & confirmor, quòd adhuc video Filium Dei sedentem ad dextram Patris, dona largiri hominibus necessaria ædificationi Ecclesiæ, & propagationi doctrinæ incorruptæ, quòdque Scholam & Ecclesiam hanc nostram, annorum non multorum interuallis ceu orbatam præclarissimis illis ac selectissimis donis, hoc est, Doctoribus ijs, quorum opera ac ministerio doctrinæ suæ lucem illustrare, & a fordibus tetrâ, quibus illa olim sub regno Pontificio foedata erat, repurgare, ac latè spargere cœpit, Non destituit penitus, nec cessat excitare ingenia bona & excellentia donorum suorum varietate admirabili ornata, instructa & præparata ad certamina, quæ restant, & ad usus alios Ecclesiæ ac posteritati necessarios.

Et quidem

Et quidem lætor vel ob hoc maxime toto pectore,
quòd & ex hac ipsa Schola nostra, & ex familijs summo-
rum illorum, & de Ecclesia optime meritorum Patrum
ac Præceptorum nostrorum, illa ipsa dona sua desumit, ut
habeat posteritas nostra certos & fide dignos testes, edu-
catos & enutritos in doctrinæ sincerioris tractatione,
professione & propagatione, a primis quasi incunabulis,
ab illis ipsis viris summis, quibus sapientiæ suæ lucem pu-
riorem præ alijs ostendit atq; impertiuit. Cumq; videam
hoc ipso comprobari nobis dulcissimæ illius promissio-
nis veracitatem ac firmitatem, quam fideliter suę vocatio-
nis munera facientibus Paulus proponit, inquiens: Non
erit labor vester inanis in Domino, in spem indubiam
erigor, quantæcumq; futuræ sunt dissipationes ac confu-
siones, deinceps tamen & in posteritate nostra seruatur-
um Filium Dei aliquod semen sanctum recte se agnoscenti-
um, inuocantium, & aliqua illi grata facientium.

Atq; illos ipsos testes ac custodes doctrinæ a se da-
tos, successores in locum eorum, qui iam à nobis abducti
sunt, & donis suis ornatos & instructos, confido ac spe-
ro, memores fore non solum preciosæ ac sanctæ illius
παράκλησεως, quæ illis tuenda ac propaganda commit-
titur, sed etiam eorum virorum, a quibus eam accepe-
runt & accipiunt, quorum in repurgatione doctrinæ cer-
tamina, pericula, fidem, constantiam, & animorum celsi-
tudinem, imò & præsentiam Filij Dei, suo illos Spiritu
non solum docentis, sed & potenti dextra sua tuentis ac
protegentis, conspexerunt: Deniq; quorum viderunt in-
ter se beneuolentiam, coniunctionem, studium *συνεργα-
σίας* & concordia publicæ ac priuatæ tuendæ ac conser-
uandæ innumeris officijs mutuis, Ideoq; daturus operam
quanto poterunt studio & diligentia hos ut & imitentur,
& talem auditoribus ac posteris suis relinquunt doctrinæ

G ij vocem

vocem, qualem & cum lacte materno imbiberunt & hauserunt, & postea sibi fideliter atq; incorruptè inculcatam meminerunt. Cùm itaq; non solum die ab hoc tertio, sed multos iam annos in hac Ecclesia ac Schola docentes, & piam suam de præcipuis doctrinæ Christianæ articulis confessionem edentes, audiuerimus, viros Reuerendos & Clarissimos, D. Magistrum Casparum Crucigerum, D. M. Henricum Mollerum, D. Fridericum VVidebramum, D. M. Nicolaum Selneckerum, D. M. Christophorum Petzelium, & D. M. Iohannem Bugenhagenium, quorum nō nomina tantum, sed excellens in omni genere doctrinarum eruditio, virtus, pietas, fides & alia Dei dona ingentia publicè nota sunt: Deceimus proximo die Iouis, qui mensis huius Maij futurus est XI. publicum doctrinæ testimonium tribuere, & ornatis honestissimo gradu & insignibus Doctorum Theologiæ denuo commendare doctrinæ cœlestis professionem & propagationem in hac Schola & Ecclesia. Ad hanc publici testimonij renūciationem, quam inter ardentia vota, preces ac gemitus piorum multorū fieri iustissimum est, ut adsint non grauatim omnes omnium ordinum in hac Academia Magistri, Doctores, Professores & Auditores, reuerenter oro, hortor & obtestor. Ingens omninò Dei beneficium est, longo ordine posteros & videre Ecclesiam, & maiorū testimonia audire ac meminisse, ut suis ea posteris ac successoribus tradant: Talis fœlicitas maior fuit ante diluuium, sed tamen & post diluuium vidit & audiuit Abraham progenitorem Sem, ex quo nonus ortus erat, cùm quidem a diluuiio usq; ad Circumcisionem sint anni circiter quadringenti. O magna fœlicitas, videre & audire certa testimonia maiorum de doctrina tot seculis. Etsi autem in hac misera senecta mundi non sunt tam longa vitæ spacia, tamen vos præcipuè, qui studiorum causa in hanc
Academiam

Academiam accessistis, lætamini, & non in postrema felicitatis publicæ & vestræ priuatæ parte ponite aut putate, cernere vos, collocari in professionem doctrinæ publicæ tales viros, qui illa lumina Ecclesiæ donata huic senectæ mundi, Lutherum, Melanthonem, Bugenhagium, Crucigerum, Forsterum, Eberum, & alios huius Ecclesiæ ac Scholæ doctores, inde usq; ab ineunte ætate viderunt & audiuerunt, qui doctrinæ semina prima ab his acceperunt, imò qui & ex sanguine illorum nati sunt ac propagati, Aut alioqui his propter ingeniorum & doctrinæ præstantiam charissimi fuerunt, qui deniq; historiam horum annorum & certaminum integram meminerunt inde usq; à pueritia. Tales ergo doctrinæ testes & custodes quòd seruat & excitat Deus, ardenter Deo gratias agite. Ac tanto studiosius singulos suo loco tradituros doctrinam cœlestem publicè audite. Ac Deum orate, ut deinceps & ipsos & vos Spiritu sancto suo clementer regat, seruet, doceat, protegat, ut vasa sint sancta & salutaria seruientia Ecclesiæ, Amen.

P. P. VII. die Maij, Anno
M. D. LXX.

CORRECTVRA.


C. fac. 1. lin. 13. post uerba (se se repressit)
inferendus est hic paragraphus :


Nunc uerò audacior factus successibus ter-
trè ac impiè idem uirus denuò spargere incipit.
Non enim profectò aliud sibi uolunt uerba ista,
quæ audacter in edito uolumine glossæ com-
pendiariæ in nouum Testamentum inseruit.
Filius, inquit, per quandam Metaphoram uos


G iij catur


tur λόγος, sicut simili fortè hebraïsmo dici posset
Baptista] nominatus uox. Tale est autem & illud,
quòd expressè reijcere ac condemnare audeat
piæ uetustatis declarationem, quæ dixit λόγος
sic uocari, quia sit imago Patris cogitatione ge-
nita, nec tamen euanesceus imago, sed λόγος οὐ-
σιώδης, (ut inquit Ignatius) & ὁμοῦστος καὶ συναίδιος
τῷ πατρὶ. Quidam, inquit Flacius, docuerunt ideò
uocari λόγος, quia gignatur à Patre cogitatione
ac contemplatione sui, fingentis imaginem
suam, eiq̃ substantiam communicantis. Quod
cùm ueterum Hæreticorum fœdissimorum in-
uentum est, tùm uerbi Dei testimonio caret,
tùm à patribus iam olim uehementer damna-
tum est, tùm deniq̃ grauioribus etiam erroribus
occasionem præbere posset.











Ung VI 48

ULB Halle
002 720 54X


3



TA → 20







ORATIO
DE CONFVSIO-
NIBVS DOGMA-
TVM, VETERIBVS ET
RECENTIBVS IN ECCLESIA,
excitatis ab hominibus fanaticis, Recitata à
GEORGIO MAIORE Docto-
re Theologia in Academia
Witebergensi.

*CVM DECERNERETVR GRA-
dus Doctorum Theologiae Reueren-
dis Viris*

*D. Casparo Crucigero.
D. Henrico Mollero.
D. Friderico Wvidebramo.
D. Nicolao Selneccero.
D. Christophoro Pezelio.
D. Iohanni Bugenhagio.*

WITEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES
Schvvertel.

Anno M. D. LXX. Die Maij XI.

21

